

## Kritisch - Exegetisches.

## Coniectanea.

I Pompeis scriptum est in pariete CIL. IV 3135 *Romulus in caelo*, solum Romuli nomen identidem. Enniani versus ann. 119 V. id est principium. item Ennianae locutionis ann. 381 memoria circiter Flaviorum imperium fecit ut mercator Brundisinus in carmen vitiis alioqui liberum hoc inferret hemistichium *navibus velivolis* (act. inst. arch. Rom. 1872 p. 30).

II Titulus Pompeianus CIL. IV 2953 sic legendus est: *C. Vivi Itale, fruniscarus s(alvos) Atia tua*. eandem verbi formam execratio habet ib. 2082 *in cruce figarus*. in s. nota licet etiam nomen mulieris quaerere quale est *Secunda*.

III Recte Friedlaenderus (hist. mor. rom. II p. 229 n. 6) coniecisse videtur gladiatorem a Trimalchione Petroniano bis memoratum (*pugnans Petraitis* 52 et 71) eundem esse qui cum Prudente compositus in muro Pompeiano CIL. IV 538 bis vocatur *Tetraites*. interim de nomine restat dubitatio non tam propter duplex codicis testimonium quam propter poculum Catillone inventum pictura gladiatoria ornatum cuius in marginibus lecta sunt *Petrahes* et *Prudes* nomina (ephem. archaeol. gallicae 1867 p. 151). *Πετραίτης* aut adiecta qua vulgus utebatur interaspiratione *Petrahites* a Petraea originem traxisse potest velut a Phocaea *Φωκαίτης* correptumque abiisse in *Petrahes* similiter atque hic Samnitis et Samnis, ditis et dives, ancipes et anceps fuere suntve.

III Editum est in annalibus antiquar. Rhen. a. 1871 p. 216 ex Wilthemi Iesuitae schedis inter alios titulos hoc carmen Luxemburgum translatum:

*accipe fraterno multum madiania fleta  
atque in perpetuum frater ave atque vale.*

Catulli est distichon 101, 9 nec in lapide ullo fuit antiquo.

V Clodum illum pedem quo Querolus fabula composita est cum in nulla alia orbis terrarum parte quam in Africa carmina habeant lapidaria, Queroli scriptorem Africanum fuisse existimo.

VI Britannia ultra oceanum sita haud raro dicitur, Britannicus oceanus quasi finis terrae in titulo Orelliano 1109, Seneca apocol. 12 v. 13 *Britannos* inquit *ultra noti litora ponti et caeruleos Brigantias*. itaque in Octavia sic invertenda sunt v. 27 commata anapaestica *cinque Britanni ultra oceanum*, nisi forte quas libri tradunt ineptias totamque praetextatam medii aevi poetae tribuis. ego perparvo eam intervallo a Neronis morte distare puto, ante Tacitum scriptam esse scio. emendavi v. 53 *vincit immitis dolor*, 149 *sanguinis clari*, 178 *funebri flamma*, 245 *hic gravior*, 432 *defendit sua*, 473 *respectus ensis*, 360 *freta set*, 612 *redditast*, 746 *irrupit intro*, 749 *quatit ossa*, 775 *maneant ut praesens status*, 874 *tua temperet*, 887 *sed acres*. tentavi 529 *sparsit Actiacos sinus concussus*, nam regionis illius indicium ibi non minus

requiritur quam Poppaeae v. 602 ubi *populi* substituit librarius nominum paene omnium corruptor. qui versus nescio an talis fuerit iam pridem et ipse vota Poppaeae moror.

VII *Licinia L. l. Aesion* id est Hesiona CIL. II 2223 vetustam eius nominis formam servavit. Aesionam enim Naevi tragoediae fuisse nomen, non Hesionam, Varro ostendit de l. l. VII 107 fabulas Naevi omnes sicut in indicibus moris erat ex litterarum ordine disponens. ita Aeoles Hesiodum vocasse *Αἰσιόδον* feruntur, ita Romani a Graecis plerisque discrepantes *Aisclapī, Paimiscos, scaina* al. extulere.

VIII Factum est aliquoties ut graecorum nominum formas a Graecis ipsis antiquatas quod suo ori convenirent Romani servarent velut *Atlans Athamans Atragans* nominativos. qua ratione *formossus formosus* latina, item *νήσος νῆσος* graeca provenere, quamquam *νήσος* principale nantis in salo molis vocabulum non tenuere nisi Romani. *Cherronensi* legitur in nobili Plautii Silvani monumento (Or. 750) unde apparet *Peloponnesum* similiaque quotiens in latinis libris reperiuntur — sunt autem pervagata tamque maioribus nostris fuerunt trita ut etiam incidendum in monumento curarent *Peloponnesi* (Le Bas inscr. gr. et. lat. 210) — totiens esse restituenda.

VIII Damasci in sepulcro quo *ιερόν ἄνδρα ἐξυρημένον* ut Lucianus ait condiderant quod inscriptum est epitaphium editum a Waddingtone inter Syriacas inscriptiones n. 2549 hendecasyllabis constat unoque etiam errore sic levandum est:

Ἐντεῦθ' ἀρχιερεὺς ἐγὼ ποτ' ὄκουν  
 ἄνθος ξυράμενος νέων ἰούλων  
 ψυχὴν εὐσεβείης ὑπερ τεθλιῶς  
 καὶ σεμναῖς μακάρων ὑπηρετείαις·  
 ἀλλ' εἰς γῆρας ἔκυσθε πάντες ἐξῆς  
 μνεῖαν Μητροφάνους ὅσοι ποιῆσθε.

subscripsit pius homo *νῆ τὸν Δία συντηρήσω.*

X Sophoclis in Oedipode Coloneo canticum suavissimum laudesque olearum v. 703 quotiens legi, inepta mihi visa est quam a poeta expressam credunt sententia, nec puerum eas nec senem extirpaturum, cum aptissimam unde sumeret poeta habuerit sacram publicamque Atheniensium detestationem qua *φίλος ἢ πολέμιος* appellabatur. si vero traditas litteras sic legimus ut antistrophico par versus numerusque elegans fiat, simul sententia exoritur comoda *τὸ μὲν ας οὔτ' ἐνεδρος* quam contrarium consequatur tale *οὔτε χώρας ἐμβαίνων ἀλιώσει.* nam quod libri praebent *οὔτε γῆρα σημαίων* cum mixtis errore scribae glossemate praeceptoris studio correctoris effluerit ex *νεαρός*, ut emendationi ne sit fundus potior suadeo.

XI In decreto Valeriani et Gallieni (Waddington inscr. Syriae 2720 a) inscriptum est *regum antiqua beneficia . . . is qui provinciam regit remota violentia partis adversae incolumia vobis manere curabit*, quem ad modum adversarios latine vocari solere meminimus sive sagatos sive togatos. sic Quintilianus VII 3, 19 *nostra*

*confirmanda est et adversae partis destruenda finitio*, sic Suetonius Caes. 75 et Dom. 10 *partis adversae*. eundem hunc scripsisse nego gram. 9 a *Varrone diversae partis advocato*.

XII Itinerarii graeci quod Syrus panis et circensium studiosus vel mercator de plebe sub annum Chr. 347 conscripsit duae extant interpretationes latinae, altera barbara ac rudis sed plenior et accuratior docte edita a Iacobo Gothofredo, altera Iunioris philosophi nomine ornata elegantior paulo sed brevior ut in qua monachus religiones veteres resque alias scitu dignas praeterierit ab Angelo Maio edita (class. auct. III p. 385). ex quibus interpretationibus graecum exemplar aliquanto melius quam Gothofredus proposuit hodie licet reparare et nos si occasio erit proponemus. interim exemplo uno quae inter duas versiones ratio intercedat significaturus e Graeciae descriptione enotabo quod ignotum archaeologis et utile tamen videtur:

Gothofredi ed. p. 31

*Civitates autem habet has, Corinthum et Athenas: Corinthum enim civitatem multum in negotio et habens opus praecipuum amphitheatrum. Athenas vero et historicas antiquas et aliquid dignum nominatum Arcum, ubi multis statuis stantibus mirabile est videre dicendum antiquorum bellum. Laconica vero solo cronico lapide, quem dicunt Lacedaemonium, ornari putat.*

Sine dubio scribendum est *nominatu arcem*. ex tot igitur tantisque arcis ornamentis et statuis nihil homo iste magis miratus est quam gigantomachiam Attalicaque opera supra theatrum collocata, τὸν λεγόμενον τῶν παλαιῶν πόλεμον vel ut Pausanias I 25, 2 refert Γηγάντων . . . τὸν λεγόμενον πόλεμον.

XIII Potioni gallicae germanum nomen *cervesia* est, non *cerevisia*. illud enim cum ex libris Plinii nat. h. XXII 164 et Digestorum XXXIII 6, 9 prodiit eique consentaneum principium *cerv* in Gaudentii scholiis Vergilianis georg. III 380 remansit, tum duabus confirmatur inscriptionibus, edicto Diocletiani de rerum venalium pretiis in quo est *cervesiae camii italicum* et lagonae in ephemeride archaeol. gallica a. 1868 p. 226 descriptae titulo hoc *ospita, reple lagona(m) cerves . . eius lagonae inscriptionem alteram sic legi oportuit copo . . tua res est, reple, da*.

XIII *vellem ex velsem sicut essem ederem ex edsem* natum esse etsi in primis certum tamen nuper dubitatum est. documento igitur esto quod nullam habet dubitationem *ullo pro ultus fuero* Nonii p. 185. licet enim Vossius ceterique id mutarint in *ulso*, non solum Nonius adversatur, ipse reclamat Acci versus *nisi genitorem ullo, nullum* —. sequitur ut *volsi* et *velli* una exitiis

Mai p. 402

*Habet autem civitates optimas Corinthum et Athenas. Corinthus negotiis viget, habet et opus praecipuum amphitheatrum, Athenae vero sola studia litterarum.*

*Laconica crocino tantum lapide quem dicunt lacedaemonium ornari putatur.*

eademque declinatione intellegamus. concinere sono verba diversa voluisse Accium unus ex sodalibus nostris animadvertit, alius novit in Enni versu praetext. 2 qui emendatus legitur in adnotatione Ribbecki p. 279<sup>2</sup> ut e codicibus reponeremus *cunctat*, nam *tute* est in tuto vel caute.

XV In Plauti Trinummo v. 238 alterum exemplar exhibet *eos petit eos sectatur*, alterum *eos cupit eos consecatur*. duo exemplaria conflanda sunt ut unus recuperetur quem Plautus fecerat versiculus anapaesticis superioribus et inferioribus aequalis *postulât sese in plagas cónicere. eos cûm petit, eos cum séctatur, subdolê [lactat] consûlit ab re blandiloquentulus harpago mendax.* in prima scaena versum 32 suo loco depulsum arbitror, si quidem non incrementum herbae sed messem maxumam vilitas consequitur.

XVI Praestantius quam Colluthi Dracontii de raptu Helenae carmen modo prodiit in appendice operum editorum ab Angelo Maio p. 12—17 (Romae a. 1871). in quo vetustorum illustriumque poematum quaedam resonat imago. atque recte in libris Ciceronis tradi discimus Cassandram sic loquentem (Enni trag. 54 R.) *iudicavit inclutum iudicium inter deas tris aliquis, quo iudicio Lacedaemonia mulier, furiarum una, adveniet* quando quidem tempore eo quod Alexander tragoedia cum vaticiniis Cassandreae repraesentabat Paridis in Ida iudicium dudum erat factum. multi carminis versus apud Maium leguntur corrupti, partim ut a tirone emendari possint, plurimi perversa interpunctione turbati, sunt quae cum primum depravata credideris, mox ipsum poetam, caudicum Carthaginiensem Luxorio prope aequalem, admisisse tibi persuadeas neglecta sermonis metricae puritia, velut *intendunt* 455 plane idem quod *vident* est. quaedam in christiano Dracontii poemate repetuntur ut clausula hexametri *fons auctor origo*. novum carmen quo alii facilius legant, adscribam quae correxi aut periclitatus sum, neque enim prima aggressionem spinarum omnes evelluntur nec nihil proficiunt cessura melioribus. 20 *armatos* 53 *cecidere*  
59 *tuctur* 62 *rura pigent* 79 *novarat* 102 *fratris*  
112 *parentes insistent iuvenis* 114 *avens* 141 *rediet*  
162 *hic hostis* 172 *ut relevet* 177 *ducite* 188 *effrenis*  
*quid virgo canit* 190 *patriis* 238 *tibi* 250 *invitas*  
308 *qui vicit* 311 ss. per interrogationes *sic Priami, sic pendit, datur, senuit sic* 342 *ultra: tua sed et iubet* 374 *vos*  
377 *erit* 395 *muris stat celsior unda* 397 *percellant*  
419 *quies* 422 *necis timor* 427 *scopulo classis depulsa recedit*  
439 *Paphon* 449 s. *caterva. inceptum* 452 *mox et devertit* 476 *prodidit* 478 *augur averruncet signis*, nam verbi eius primae syllabae correptionem Vandalicis temporibus condonandam puto 483 *versicolor chlamys* 491 *decorus* 555 *et vacat aversis* 572 *provectus equo* 616 *enata rosetis: candida pepala volant* 622 *ad patrem Priamum gradicens* 633 *nuta*.

XVII In Aristophanis Equitibus versus 294 et 295 pristinus codex hos exhibebat

διαφορήσω σ' εἴ τι γούξει.

κοπροφορήσω σ' εἴ τι γούξει.

Aristophaneum in altero versu nihil est nisi κοπρο-, reliqua ab scriba male iterata postea inlato glossemate ita mutata sunt ut in codicibus nostris reperiuntur. poeta quid dederit praeterea scire nefas est, potest principium versus fuisse quod Velseno in mentem venit κοπρο[φραγήσεις].

XVIII Etymologum quendam nuper vidi denuo contententem *caballum καβάλλην* in Graecia ortum esse et a καταβάλλειν dictum eum humilem pedibus. ergo nesciit vetustissimos dixisse *cabonem* (gloss. Parisini ab Hildebrando editi p. 40 ad n. 8) — formamento *caballum caboni* tam propincum quam *humatum homini* puto — eoque nomine proprie significasse eum castratum ac mollem quem plerique canterium vocarunt. caballus in equis cum id sit quod capus in gallis gallinaceis, probabiliter primam originem *caboni* et *caponi* eandem fuisse docti sermonis utriusque homines olim statuere.

XVIII Horatius in carmine quod non scripsit pueris I 12, cum inter Regulum et eum Paulum qui cladi Romanae superstitem se esse noluerat medios Scauros posuit plurative, eruditos cives speravit statim intellecturos quid spectaret, patris in filium qui loco hostibus cesserat severitatem filiique pudore oppressi mortem voluntariam (Val. Max. V 8, 4 script. strateg. IV 1, 13 de viris ill. 72).

XX Carminis Anthologiae Riesianae 662 versus 3 sic restituendus erat *en mihi terra domum praebet finisque sepulchrum*. ubi quod meo nomine adnotatum est deletum oportuit. at in elegia non inscita 794 v. 31 s. etiam nunc vera mihi videntur quae tum proposueram *hic placuit — letale nefas — qui dedecus orbis, qui iam terribilis larva pudorque patris*.